



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Caput IV. De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacramentis. Cap. IV.*

*Ius: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

## C A P U T   I V.

### *De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.*

*Quæst. 1.* **Q**UÆNAM sunt partes necessariæ ad constituendum Sacramentum?

*Resp.* Omnia Sacra-  
menta, ut ait Concilium Flo-  
rentinum, tribus perficiuntur, vide-  
licet rebus tanquam materiâ, verbis, tan-  
quam formâ, & persona Ministri conferentis  
Sacramentum, cum intentione faciendi, quod  
facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non  
perficitur Sacramentum. Idem statuit & de-  
crevit Concilium Tridentinum. sess. 7.

Conc. Flo-  
rent. sub Eu-  
genio IV. in  
Armenorum  
Decrete.

*Quæst. 2.* In quo consistit materia & for-  
ma Sacramentorum?

*Resp.* Quemadmodum in compositis natu-  
ralibus, vocamus materiam id quod determi-  
nari debet ad tale esse per aliud, formam vero  
vocamus quod ipsam materiam ad aliquid de-  
terminat, ac perficit; ita in Sacramentis res  
sensibiles quæ ex se indifferentes sunt ad signi-  
ficandum plura, dicuntur materia, & verba  
illa determinantia ad tale significandum, di-  
cuntur forma: Ex verbis & rebus, inquit D. Th. 3. p.  
sanctus Thomas, fit quodammodo unum in q. 60. art. 6.  
Sacramentis, sicut ex forma & materia, in  
quantum scilicet per verba perficitur signifi-  
catione rerum. Et ibidem in corpore articuli sic  
habet: Aqua enim significare potest & ablu-  
tionem propter suam humiditatem, & refri-  
gerationem propter suam frigiditatem; sed culi,

Ibidem in  
corp. arti-  
culi,

## 16 TRACTATUS I.

cum dicitur : Ego te baptizo , manifestatur quod aqua utimur in Baptismo , ad significandum emundationem spiritualem.

Quest. 3. Materia & forma sunt-ne partes essentiales Sacramentorum ?

D. Tho. in  
4. sent. dist.  
1. q. 1. art.  
3. ad 2.

D. Th. 3. p.  
q. 60. art. 7.  
in corp.

Resp. Ita planè. Verba & res , hoc est materia & forma , ait Divus Thomas , sunt de essentia Sacramenti. Et alibi , ait : In Sacramentis verba se habent per modum forme , res autem sensibiles per modum materiae.

Quest. 4. Quisnam instituit materiam & formam Sacramentorum ?

D. Th. 3. p.  
q. 64. art. 2.  
ad 1.

Resp. Christus Dominus : Illa quæ aguntur in Sacramentis , ait Divus Thomas , per homines instituta , non sunt de necessitate Sacramenti ; sed pertinent ad quamdam solemnitatem , quæ adhibetur Sacramentis ad excitandam devotionem & reverentiam in his qui Sacra menta suscipiunt. Ea verò quæ sunt de necessitate Sacramenti , ab ipso Christo instituta sunt qui est Deus & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis , habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione , sicut Apostolus dicit , I ad Corinth. II. CÆTERA , CUM VENERO DISPO-  
NAM.

Quest. 5. Quid intelligis per intentionem quæ requiritur ad validitatem Sacramentorum ?

Conc. Trid.  
sess. 7. Can.  
11.

Resp. Intentio est actus voluntatis in aliquem fidem se moventis. Definitum est autem in Concilio Tridentino , intentionem esse necessariam ad confectionem Sacramentorum : Si quis dixerit , inquit , in Ministris dum Sacra menta conficiunt & conferunt , non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia , anathema sit.

Quest. 6. Quotuplex est intentio ?

*De Sacramentis. Cap. I V. 17*

*Resp. Triplex. Actualis, virtualis, & habitualis.*

*Quæst. 7. Quænam est intentio actualis?*

*Resp. Actualis intentio est ea, quā quis conferens Sacramentum in ipso momento cogitat de eo conferendo, & habet actu intentiō nem faciendi quod facit Ecclesia: non est autem necessarium, ut dicat, Ego intendo, aut volo facere quod facit Ecclesia, sed sufficit, ut id faciat cum attentione conjuncta cum intentione administrandi Sacramentum. Unde sanctus Carolus: Sacerdos, inquit, Sacra-  
menti administrationem cùm aggreditur id intendat, idque sibi agere proponat quod Christus Dominus instituit, & sancta Mater Ecclesia intendit atque agit.*

*Sanctus Ca-  
rolus Act p.  
4. De Sacra-  
ment. admi-  
nistra.*

*Quæst. 8. Quænam est intentio virtualis?*

*Resp. Virtualis intentio nuncupatur, quæ ex actu oritur, & ex illius virtute operatur: vel intentio virtualis ea est, quæ actu desit, & manet virtute; quia quamvis ille qui Sacramentum administrat non habeat tunc intentionem quia non cogitat actu de Sacramenti administratione cùm sit distractus, eam tamen priùs tempore habuit, ejusque virtute agit; v. g. ut ait sanctus Thomas: Cùm Sacerdos D. Th. 3. p. accedens ad baptisandum, intendit facere q. 64. art. 8. circa baptisandum quod facit Ecclesia. Vnde ad 3. si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentio- nis perficitur Sacramentum.*

*Quæst. 9. Quænam est intentio habitualis?*

*Resp. Habitualis intentio vocatur inclinatio seu promptitudo quædam ex habitu acquisito aut infuso proveniens, quām nulla præcessit intentio, vel si præcessit, jam est moraliter interrupta, atque adeo nec per se nec per vir-*

18 TRACTATUS I.

tutem à se relictam in actionem influere censetur , quod quidem accidere potest homini etiam dormienti. v. g. Cùm quis solitus administrare Sacramentum Baptismi , illud administrat sine ulla intentione , aut reflectione ad id quod agit.

Quæst. 10. Quænam ex dictis intentionibus requiritur in ministro ad validitatem Sacramentorum ?

Resp. Intentio actualis non est necessaria ad validitatem Sacramentorum ; quia , ut ait Di-

D. Th. 3. p. q. 64. art. 8. ad 3. vus Thomas , Non est totaliter possum in ho-

minis potestate habere actualem intentionem ; quia præter intentionem , cùm homo vult multum intendere , incipit alia cogitare , secundum illud Psalmi 39. COR MEUM D E R E -  
L I Q U I T M E. Studiosè tamen , inquit idem Doctor ibidem , curare debet Sacramenti Mi-  
nister ut etiam actualem intentionem adhi-  
beat. Intentio virtualis sufficit. Si enim in ipso  
exercitio actus , inquit idem sanctus Thomas  
ibidem , cogitatio Ministri ad alia rapiatur ,  
virtute prima intentionis perficitur Sacra-  
mentum. Hæc enim in Ministro , evagante  
animi cogitatione , dum Sacramentalem actionem  
exercet esse potest , atque ad Sacramenti  
integritatem sufficit. Quare Sacerdos , qui mi-  
nores hostias consecrandas in altari reposuit ,  
eas verè consecrat vi primæ intentionis , etsi in-  
ter mysteria mens ejus fuerit evagata , nec  
illarum in ipso consecrationis articulo memi-  
nerit.

Intentio habitualis non sufficit , quia actus  
ex illa proveniens , non est actus humanus ,  
cùm fiat sine advertentia , & deliberatione ,  
nec proinde adsit intentio faciendi quod facit  
Ecclesia , & , ut ait Divus Bonaventura : Dis-  
pensatio Sacramentorum est opus hominis ne-

D. Bonav. in  
6. p. Brevi-  
loq. cap. 5.

De Sacramentis. Cap. IV. 19

rationalis , ut Ministri Christi & ut Ministri De Sacra-  
salutis : Hinc est , quod necesse est quod fiat <sup>mentorum</sup>  
ex intentione , quā quis intendat facere quod <sup>dispensatio-</sup>  
Christus instituit ad humanam salutem , vel <sup>ne.</sup>  
saltē facere quod facit Ecclesia .

Quast. II. Si habitualis intentio Ministri  
non sufficiat , quomodo intelligi debet quod ait  
Divus Thomas , quod Licet ille qui aliud co- D. Th. 3. p.  
gitat non habeat actualē intentionem ; ha- q. 64. art. 8.  
bet tamen intentionem habitualē , qua suffi- ad 3.  
cit ad perfectionem Sacramenti ?

Resp. Facile est videre ex verbis Divi Tho-  
mæ , cum non loqui de intentione habituali ,  
quatenus distinguitur à virtuali , sed solum  
quatenus distinguitur ab actuali ; cùm dicat  
ibidem immediate post verba citata : Putà cùm  
Sacerdos accedens ad baptisandum , intendit  
facere circa baptisandum quod facit Ecclesia .  
Vnde si postea in ipso exercitio actus cogitatio  
ejus ad alia rapiatur , ex virtute prima inten-  
tionis perficitur Sacramentum . Hoc autem  
vocamus intentionem virtualem , quæ nihil  
aliud est quam intentio quæ reperitur in eo ,  
qui habità intentione actuali administrandi  
Sacramentum , postmodum distractus est , il-  
ludque confert virtute primæ intentionis actualis  
quam priùs habuit .

Quast. 12. Si intentio Ministri necessaria  
foret ad validitatem Sacramenti , sanctus Ale-  
xander Episcopus Alexandriæ , non debuisset  
approbare Baptismum à sancto Athanasio So-  
ciis jocando collatum ; cùm enim adhuc puer  
pueriliter iuderet in littore maris & Episcopa-  
les actiones imitando exprimeret , colludentes  
pueros baptizavit in nomine Trinitatis ; quo-  
niam quidem qui ludendo solum res facit , non  
videtur habere intentionem administrandi Sa-  
cramentum . Similiter Baptismus receptus à

## 20 TRACTATUS I.

sancto Genesio in theatro , ab eo qui irridere volebat mores Christianorum , & modum baptizandi eorum , non fuisset validus ?

*Resp.* Primò responderi potest factum Athanasii esse valdè dubium , ut patet ex ejus historia exactius scripta à celebri autore . Verùm licet hæc historia vera fore , Glossa in Can. Spiritus-sanctus , ubi hæc historia refertur , sic respondet . Dico etiam quod licet formam ludendo accipiat , dum tamen baptizare intendat , baptizat : Si autem omnia jocosè fiant , non erit Baptismus . Et Divus Thomas hanc difficultatem proponit , & ita solvit . Dicitur quod puer Athanasius ludendo simulans se Episcopum , baptizavit quosdam : Et judicatum est ab Alexandro Episcopo ut non rebaptizarentur , quia inventum est , quod ipse intentionem baptizandi habuit . Quod etiam patet ex hoc quod non baptizabat nisi Catechumenos , hoc est eos qui se disponebant ad recipiendum Baptismum .

Quod spectat ad factum sancti Genesii , dico illum joculariter & histronicè Christiana mysteria imitantem , & irridentem coram Diocletiano , sed repente , tangente Deo cor hominis , ad fidem Christianam esse conversum , & baptizatum , ut ait sanctus Antoninus , his verbis : *Quam ob rem ad nos misisti , filiole ?* At ille , non jam simulante & ficte , sed ex S. 9. summæ puro corde respondit , quia gratiam Christi consequi cupio , per quem renatus à ruina iniqitatum mearum liber fiam . Ita hanc historiam refert Surius lib . 4. de Vita sanctorum , dum scribit vitam sancti Genesii . Posito autem quod minister ille evocatus nullam habuerit intentionem baptizandi , sed tantum deridendi Baptismum , tunc dicimus non baptizasse Genesium ; si autem baptizando voluerit fa-

Glossa. in  
Can. Spiritus-  
sanctus. 1. q.  
1. verbo. In-  
tegris interro-  
gationibus.

D. Tho. in 4.  
sent. dist. 6.  
in Expositio-  
nibus.

D. Antonin.  
1.p.tit.8. c.1.  
S. 9. summæ  
historialis.

*De Sacramentis. Cap. IV.* 27

cere quod in baptizando Christianos facere solitos esse audierat, tunc ab eo baptizatum esse Genesium asserimus. Quoquo modo se res habeat, sanctus Genesius baptizatus est vel Baptismo fluminis vel sanguinis; fluminis quidem si praefatus Minister in eo baptizando intendebat facere quod Christiani in simili occasione faciebant: Sanguinis autem Baptismo regeneratus est cum Christi fidem amplexus illustre Martyrium subiit.

*Quæst. 13.* Quomodo igitur intelligenda sunt verba Divi Augustini relata in Canone: *Baptismus: Non timeo, inquit, adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat*, nimirum Christus. Ex his verbis colligere licet, intentionem non esse necessariam ad validitatem Sacramenti; primò quia si intentio necessaria foret, timere quis posset, qui ab ebrioso Saeramentum susciperet, ne facile intentione careret. Secundò quia, ut ait sanctus Augustinus, quisquis baptizet, Christus est qui semper confert Baptismum, proindeq; intentio Christi sufficit ad validitatem Baptismi?

*Resp.* Facile videre licet ex verbis sancti Augustini, & ex eo quod probare volebat scribens contra Donatistas, asserentes validitatem Sacramenti pendere à sanctitate Ministri, sanctum Augustinum nihil aliud probare velle nisi sanctitatem ministri non esse necessariam ad validitatem Sacramenti. Unde Glossa in Can.

*Dedit. i. q. i. verbo. ebrius, ait, ita tamen quod sentiat quid faciat, quia intentio baptizantis exigitur.*

*Quæst. 14.* Si intentio necessaria est ad validitatem Sacramenti, quare Divus Augustinus relatus in Canone Solet, ait: *Vbi autem nec* Can. Solet de consecr. dist. 4.

## 22 TRACTATUS I.

que societas ulla esset ita credentium, neque ille qui acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè & mimicè, & joculariter ageretur: utrum approbandus esset Baptismus qui sic datur: divinum judicium per alicujus Revelationis Oraculum, concordi oratione & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerent; ita sanè ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarent. Cur, inquam, cùm talis tantusque Doctor Ecclesiae non ausus sit hanc Controversiam definire, nos audeamus eam decidere?

*Resp.* Facile respondemus, nos jam in Ecclesia habere quod desiderabat sanctus Augustinus, cùm hæc Controversia definita fuerit à Conciliis Florentino & Tridentino supra relatis.

*Quæst. 15.* Requiritur-ne ad validitatem Sacramenti, ut. v. g. baptizans sciat quæ sit intentio Ecclesiae?

*Resp.* Non est necessarium, modò verè intendat baptizare, quod quidem Innocentius super C. Si quis puerum de Baptismo. Papa IV. afferit. Non est, inquit, necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat; nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat. Atque hoc modo intelligendus est Innocentius IV. quod scilicet vult solum ad validitatem Sacramenti, ut is qui baptizat observet formam Sacramenti, & habeat præterea veram baptizandi intentionem, licet non sit necesse, ut velit per Baptismum conferre gratiam sanctificantem baptizato, quod vult tamen Ecclesia.

*De Sacramentis. Cap. I V. 23*

Quæst. 16. Quare intentio interpretativa non est sufficiens ad validam Sacramenti administrationem , cùm sufficiat ad peccatum , atque etiam ad validam Sacramenti susceptionem ?

Resp. Non debet hæc intentio sufficiens existimari ad Sacramenti administrationem , quia hæc intentio non est , sed esset si agens adverteret , ut in ebrio , & dormiente , qui tamen Sacra menta validè non conficiunt , invenitur. Ratio autem discriminis in allatis exemplis est ; quia Sacramenti administratio , per modum actionis humanæ & Ecclesiastice exerceti , ac proinde actu vel virtute intendi debet ; sola autem intentio interpretativa , quam habet , dormiens , vel ebrius , non facit actum illum esse humanum , & libera applicatione exercitum : at verò peccatum ut inficiat animam , non debet necessariò intendi per modum aëtionis , sed per modum objecti , à quo voluntas malitiam haurit , quomodocumque tandem illud amet. Unde qui est ita dispositus , ut libenter peccaret , si sciret ibi esse peccatum , continuò peccati reus efficitur : similiter recipiens Sacramentum merè passivè se habet . { Si Pœnitentiæ Sacramentum excipias , in quo actus pœnitentis sunt Sacramenti materia necessaria ) unde modò non ponat positivum obicem , & sic aliundè ita dispositus , ut Sacramentum recipere vellet si ministraretur , non requiritur per se alias actus ; ideoque Baptisma dormienti Cathecumeno , Baptismi aliquin studio collatum , nunquam iteravit Ecclesia , & parvulis proprio actu parentibus quotidie confertur ; & in hoc sensu dixit Innocentius III. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio , cùm obicem voluntatis contrarie non invenit obfistentem ; mo , in fine.

Cap. Majores.  
De Baptis-

24 T R A C T A T U S I.

Quia nimis in voto Baptismi antea concepto sufficiens intentio Moralis, & interpretativa perseverat, cum quibus tamen stat in recipiente vera intentio recipiendi Baptismum, modò exprestè non contradicat. Unde adultus receptioni Baptismi exprestè contradicens, nihil recipit, quia tunc nullam habet intentionem recipiendi Baptismum, nec etiam interpretativam, quæ sufficeret ad hoc, ut validè reciperet.

C A P U T V.

*De mutationibus quæ accidere possunt  
materiæ formæque Sacramentorum.*

Quæst. 1. **Q**UÆNAM mutatio in materia & forma Sacramentorum, reddit Sacramentum invalidum?

Resp. Certum est, omnem mutationem substantialem, tum in materia, tum in forma Sacramentorum, reddere Sacramentum invalidum. Quod quidem probatur autoritate sancti Augustini relati in Canone: Detrahe, inquit, verbum, & quid est aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: Hoc est, detrahe formam à materia Baptismi seu verbum ab aqua, nullum erit Sacramentum: quibus verbis satis constat mutationem omnem substantialem sive materiæ sive formæ Sacramentum nullum reddere.

Quæst. 2. In quonam sita est essentialis mutationis formæ Sacramentorum?

D. Th. 1. p. q. 60. art. 8. Resp. Cum verba, inquit Divus Thomas, operentur in Sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, oportet considerare, utrum per talen mutationem tollatur debitus sensus verborum;